



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XXXIX. Timere se id quoque temptationis genus, quo aliqui placent sibi de se, nec placere affectant cæteris, sed invident.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

gloriæ contemptu vanius gloriatur: ideoque, non jam de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriatur. Non enim eam contemnit, cum gloriatur intus.

## V S V S.

**I**ngens hoc ipsum humilitatis incitamentum est, se tam miserum agnoscere, ut contemptum laudis in superbiam, id est, pharacum in venenum vertat, nisi cœlestis medicus tumorem nostrum sanet.

## C A P. XXXIX.

*Timere se id quoque temptationis genus, quo aliqui placent sibi de se, nec placere affectant cœteris, sed invident.*

1. **E**tiam intus est aliud in eodem genere temptationis malum, quo inane- scunt, qui placent sibi de se, quainvis aliis vel placeant, vel displiceant, nec placere affectant cœteris. Sed sibi placentes, multum tibi displicant, non tantum de non bonis quasi bonis, verū etiam de bonis tuis, quasi suis: aut etiam sicut de tuis, sed tanquam ex meritis suis: aut etiam sicut ex tua gratia, sed non secundum sua merita, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes eam. In his omnibus atque hujuscemodi periculis & laboribus, vides tremorem cor- dis mei: sed & vulnera mea magis subinde à te sanari, quam mihi non infligi sentio.

## V S V S.

Remedia adversus tam multiplices superbie tenta- tiones passim in libris spiritualibus ad manum sunt. Præ reliquis egregie de humilitate scriptit  
*Jacobus*

*Jacobus Alvarez tractatu absolutissimo, ubi omnes Superbiæ fraudes ejusque remedia aperit, multaque egregia ex S. D. nostro accumulat. Cum quo vigilandum est in assiduo cordis tremore, & gratiæ Deo agendæ, qui vulnera superbarum cogitationum, quæ nobis non sentientibus sæpe subrepunt, sanat bonis inspirationibus: ostendens nobis occultis modis vanitatem nostram, & veritatem suam.*

## C A P. XL.

*Se Deo ducente ac docente perlustrasse omnia, extra & intra se, & horum nihil esse Deum; in eo se, cum potest, delectari, & subinde in affectum iuvosatum intromitti.*

I. **V**bi non mēcum ambulasti veritas, docens quid caveam, & quid appetam, cum ad te referrem inferiora visa mea, quæ potui, teque consulerem? Lustravi mundum foris sensu, quo potui: & attendi vitam corporis mei de me, sensusque ipsos meos. Inde ingressus sum in recessus memoriae mēæ multiplices amplitudines, plenas miris modiscopiarum innumerabilium, & consideravi, & expavi, & nihil eorum discernere potui sine te, & nihil eorum esse te inveni. Nec ego ipse inventor, qui pergravi omnia, & distinguere & pro suis quæque dignitatibus æstimare conatus sum, excipiens alia nunciantibus sensibus, & interrogans, alia mecum commixta sentiens, ipsosque nuncios dinoscens atque dinumerans, jamque in memoria elatis opibus alia pertractans, alia recondens, alia eruens.

2. Nec